Quelle: http://manuscripta.at/?ID=543
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

117
103

Sermones Sancti Augustini ad fratres Heremitas

Fratres mei et leticia cordis mei, corona mea, gaudium meum quod estis vos. Pax vobis et caritas cum fide semper inter vos adimpleatur. Quia me putatis esse vitam animarum vestrarum, ideo desidero ita vos componere ut in vobis macula neque ruga possit ante tribunal iudicis apparere. Animabus enim vestris non solum ornamenta sed et medicamenta desidero providere. Studeo enim dissoluta coniungere et cassa sarcire, vulnerata curare, sordida abluere, perdita requirere et ea que sunt integra spiritualibus margaritis ornare. Ego enim margaritas de paradiso patria vobis donare cupiens nullam mercedem in seculo opto accipere nisi que vobis insinuare intendo pacienter audietis et cum dei adiutorio secundum vires operibus adimplere semper studeatis. Deus ante omnia fratres karissimi quos iterum parturio donec reformetur in vos Christus diligatur deus deinde proximus quia ista precepta sunt nobis principaliter data. Et ideo fratres dilectissimi commorantibus vobis in heremo in nomine dei nostri placet secundum apostolicam vitam unum sentire et omnia communia possidere sicut scriptum est in actibus apostolorum, quia erant illis omnia communia et distribuebatur unicuique sicut opus erat. In hac autem vita permaneamus et vos ipsos deo auxiliante fortiter teneamini quia qui perseveraverit salvus erit.

Siquis autem de seculo ad vestram congregacionem venire desiderat, primo precipio ut probetur an voluntas eius ex deo sit. Non enim esse debet violenta, non coacta, non mobilis, sed superna virtutibus constans et dei spiritu caritatis plena atque perfecta. Tunc ei pronunciatur quomodo abneget voluntatem propriam sponte sequetur me. Nec volo quod cogitet amplius quid necesse ei fuerit. Scit enim pater celestis quibus indigemus. Querite ergo primum regnum dei et hec omnia administrabuntur vobis. In oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est unde et nomen accepit. Oracionibus instare a mane usque ad vi^am^ cum cura missarum sollempnia. A sexta vero usque ad nonam omnes vacent leccionibus et post nr [?] Ad nquam [?] non reddant codices et fratres contradictiones sine tumultu reficiant audientes dei verbum. Postquam autem refecerint sive in orto sive in heremo vel ubicumque necesse fuerit operentur. Nil enim deo servis ociositate peius. Operentur